



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **YOPUGONEN.** *QUIBUSDAM DETRACTIS AB
ARCHIDIOECESI ABIDIANENSI
NOVA CONDITUR DIOECESIS NOMINE YOPUGONENSIS

Quam invisimus non semel Nos Africam continentem terram peculiari videlicet cura respicimus utpote quae tantum prae se ferat spei tamque laetam venturae Ecclesiae prosperitatis expectationem. Consilia itaque apta libentes capimus inceptaque inimus unde efficaciter consulatur flori ac progressui communitatum ecclesialium eiusdem interminatae fere terrae. Quam ob rem, quoniam Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide negotiis praefecti, habita nimirum ratione consensionis illorum quorum intererat, providi existimaverunt novam in Litore Eburneo dioecesim esse excitandam, quo certius ibidem evangelizandi adjuvaretur industria, Nos hanc eorum sententiam confirmamus atque ex potestatis Nostrae apostolicae plenitudine hisce ipsis Litteris sequentia decernimus fierique iubemus. Ab archidioecesi Metropolitanae Abidianensis finibus loca seiungimus occidentalia necnon septentrionalia, in quibus urbs vulgo « Yopougon » iacet tum etiam regiones civili descriptione appellatae : Agboville, Adzopé, Tiassalé, Sikensi, Dabou, Jacquerville quibus novam dioecesim condimus Yopugonensem nomine cuius limes terminetur finibus Archidioecesis Abidianensis prout est post detractationem superius memoratam et dioecesium similiter Gagnoaensis, Bouakensis et Abenguruensis, et in parte australi litore maritimo Atlantico. Mandamus praeterea ut nova haec dioecesis sit archidioecesi Abidianensi suffraganea ipsiusque templum cathedrale habeatur aedes in urbe Yopugonensi sita Sancti Andreae Apostoli sacra ; pro canonicorum autem coetu volumus ad tempus Consultores adsint ad regulas statutas delecti. Denique praecipimus ut singula a Nobis hic praestituta ad effectum perducantur ipso a Nuntio Apostolico in Re publica Litoris Eburnei aut a viro in ecclesiastica dignitate constituto ad id subdelegato, salvo onere curandi ut certa veraque omnium de executione documentorum exempla ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide cito transmittantur. Has demum Apostolicas Litteras tam nunc quam in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die octavo mensis Iunii anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo Pontificatus Nostri quarto.

CAROLUS Card. CONFALONIERI
S. Collegii Decanus

AGNELLUS Card. ROSSI
S. Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Liborius Scaccia, *Protonot. Apost.*
Renatus Ausiello, *Protonot. Apost. s.n.*

*A.A.S., vol. LXXIV (1982), n. 9, pp. 973-974

© Copyright 1982- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana